C. D.

D

POSTHABENDO PRIVATO RESPECTU,

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO, JCto,

CONSIL. SAXON. ANTECESSORE, CURIÆ PROVINCIALIS, SCABINATUS AC FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORE,

IN AUDITORIO JCTORUM

D. DECEMBR.

disputabit

AUTOR

GEORGIUS ADAMUS WILL,

SEGNIZIO FRANCUS.


JENÆ,

TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.

Anno MDC. XCI.



PROOEMIUM.



Qvidem conſervatio & amor ſui naturalis eſt tamq; intenſus, ut quicquid nobis obviam veniat alieni, id poſtponamus noſtris, & nemo non ſibi benè eſſe mavelit quàm homini alteri. Ita ingenitus cuique ſui amor non ſinit alteri fidem adhibere; ac ea eſt ferè hominum natura, ut omnes ſua mirentur, aliena deſpiciant. Qui amor, quæq; inclinatio ad proprium commodum tanta eſt, ut ordinaria relinquat, ſui ipſi9 amori locum faciens. Sic ſalutem liberorum, quæ aliàs primas facit, poſtponere licet ad conſervationem ſui, naturale debitum, quo conſtringuntur Parentes ad alendos liberos, poſtponatur, ſi quis ipſe indigeat, ne vitam amittat; Proximo quoque, quem diligere jubent Sacræ Pandectæ ut nosmetipſum, licet in caſu extremæ neceſſitatis ſuum quodammodo auferre; Re-

ſpectus ſui privatus permittit privato, quod aliàs per Magiſtratum fieri debeat, imò in caſu injuſtę offenſionis permittitur reſiſtentia adverſus Superiorem. Et licet Jus civile quid fieri permittat adverſus alterum, tamen id intelligitur ſalvâ defenſione ſui, quod jus, naturæ ſcil. prærogativam habet, nec permittit, ut quis jugulandam porrigere debeat cervicem. Ea quoq; , quæ à Legibus juſſum habent, limitantur in defenſione ſui, ut alia multa taceam, quæ ſolidiùs deducta ſunt in Diſputatione ſub Præſidio Magnifici Domini Præſidis de *Philautia* habita. Attamen accidit ſæpius, ut ceſſet amor ſui ac *poſthabendus ſit privatꝰ reſpectus*, præſertim in cauſis negotiisque publicis, quibus heic opponuntur privata. Quoniam verò juſſu Superiorum, quorum juſſa capeſſere fas eſt, ſpecimen Studiorum Academicorum mihi exhibendum ſit, hanc materiam præ aliis elegi, ut nihil ſupereſſe videatur, quàm, ut implorato Divini Numinis auxilio, rogem, *Benevolus Lector* hunc laborem, quem non alium in finem ſuſcepi, quàm ut rationē Studiorum quodammodo exhiberem, æqui bonique accipere velit. Sit ergo

SECTIO

SECTIO PRIOR

De

POSTHABENDO PRIVATO RESPECTU IN STATU PRIVATO.

SUMMARIA.

I. Quid denotet posthabere. II. Quidnam respiciat respectus privatus, III. Fœminæ Nobiles & Illustres gaudent nobilitate sua gentis; posthabetur tamen respectus privatus in connubiis, quæ fiunt cum viris plebejis. IV. Ob rationem Status posthabetur respectus nobilitatis in nuptiis fœminarum, tum quod vel consulto dentur in matrimonia plebejorum, tum quod uxores fiant Maritorum illustrium, non tamen eorum conditiones sequantur. V. Posthabetur privatus nativitatis respectus, quando plebeja nubit marito nobili. VI. Conjuges posthabita sua innocentia idem cum conjuge sustinuerunt vel carcerem vel exilium.

THESIS I.

QVid vocabulum *posthabere* denotet, nempe idem quod postponere, postferre, vilius pendere, notum est. Ita Terent. *in Phorm*: Nam omnes posthabui mihi res, ita ut par fuit, postquam tantopere id vos velle animum adverteram. v. Calepinus in Lexic *in voc. posthab.* Inde dicitur: *posthabitâ ratione*; item: occasio non est posthabenda. Unde hoc loco posthabendum idem nobis est ac *non eodem censu habendum.* Nomen *privati* verbo *privo* originem debet, & est vocabulum relativum. U-

ſurpatur hoc loco, relatione facta ad alium, qui vel *Superior*, vel *Par* quidem eſt, ſed ſine utilitate quadam, & commodo ſuiipſiusmet cauſa non deſtituitur, ac manet in ſui conſideratione quoad individuum, licet ipſa perſona, cujus reſpectus verſatur, ſit publica. Ut dicendum ſit: Poſthabendum eſſe ſeu poſtponendum id, quod aliàs naturaliter cuivis competit, ut poſtponat aliis, quò certa & publica cauſa per derelictionem iſtam promoveatur.

II.

Reſpicit verò iſte reſpectus privatus vel *Societates primas*, vel *Rempublicam*, ejusque membra tam eminentiora, quàm inferiora, vel etiam *Statum Gentium*. Quoad priores, animus eſt conſiderare inprimis (1) Societates *Conjugalem*. (2) *Paternam*. Reſpectu *Reipublicæ* quæ reſpicit vel (1.) *Univerſum*; quo continentur etiam *Imperantes*, vel (2.) *Cives* vel (3.) *Exteros* & *in communi*. Et per poſteriorem conſiderationem intelligo *Statum publicum* Civitatis & Societatis, quæ regitur jure gentium. Sunto itaque Duo Status conſiderandi *Privatus* & *Publicus*, atque hoſce Status reſpicit noſtra Poſthabitio. In priori expendenda eſt Poſthabitio privati reſpectus

I.

CONJUGUM.

TH. III.

Equidem *Fœminæ Nobiles ac Illuſtres* ex ſangvine ſplendorem poſſident, ac quod privilegii inſtar realis à Principe datum eſt primo acquirenti, id poſte-

posteris quoque datum censetur, ut eo absq; sexus differentia gaudeant sequioris sexûs personæ, quod adeò verum existimat Tiber. Decian. *Consil. 222. n. 3.*, ut etiam filiæ tàm nuptæ quàm nòn nuptæ comprehendantur in privilegio familiæ concesso, atque ad eas privilegium extendatur; cùm fœminæ etiam nuptæ semper dicantur de genere & agnatione patris, licèt non illi, qui nascuntur ex eis, eodem censu habeantur per *l. 1. §. fin. ff. de injur. l. 1. de jure immunit.* textus *in l. 4.* ibi: *Soror de familia* dicitur *C. de fideicommiss.* Hinc ea, quæ ratione ortus & familiæ nativitatis debentur, filiæ quoque Illustri in respectum Parentum & Agnatorum Illustrium usque ad finem vitæ deberi, & cum ea vix post mortem extingvi asserunt. Posthabendus tamen privatus hic respectus in fœmina Nobili, quæ nubit viro plebejo, etiamsi multis qualitatibus dotato de Jure Civili *l. fœminæ*, ibi: *Fœminis dignitatem clarissimam Parentes tribuunt, donec plebejis nuptiis copulatæ. 8. ff. de Senator.* Anchoran. *Consil. 389. n. 3.* Videretur enim absurdum fore, majorem esse dignitatem uxoris, quàm mariti, capitis familiæ; & hoc propter dignitatem sexus virilis & imperium, quod maritus in uxorem habet, juxta *Can. est ordo. caus. mulierum, 33. qv. 5.* Francisc. Amaya *ad l. fin. C. de incolis. n. 5. & 10.* Unde in casu, ubi filia nobilis alicujus nupserat ignobili, & fuerat quæsitum, Num propter hoc matrimonium, quod tamen cum Doctore Juris & Regiminis Ducalis Advocato inierat, respectus Avitæ Nobilitatis posthabendus, & ipsa locum in eundo, den Rang/ quem

olim in Persis & nunc apud Turcas moribus excusatum est, quibus Regum filiæ Satrapi nubunt. Sed & Conjugum imparitas necessitate interdum defenditur. Inde Fridericus Neapolis Rex à prudentibus est reprehensus, quòd Alexandri Pontificis filio suam filiam uxorem dare noluisset. Et Alphonsus Ferrariæ Ducis Primogenitus laudatur, quod ducendo in uxorem Lucretiam Borgiam Pontificis filiam, Principatum suum ob ambitionem Cæsaris Borgiæ in manifesto periculo sibi servare posset. Quod denegationem honorum & dignitatum, quarum aliàs participes fiunt uxores nobilium virorum, attinet, hoc ex singulari fit ratione Status, non quòd verum & legitimum propterea matrimonium non sit, nam licèt vulgò Concubina audiat, non secus ac olim inter Senatorem & libertam non subsistebat civile matrimonium, quod tamen Jure naturæ verum & essentialiter perfectum est matrimonium; ita & nostris moribus conjugium impar, ad morganaticam, verum ratumque omninò est matrimonium, quod olim pro Concubinatu erat, vid. Magnificus D. Joh. Frider. Schoberus, JCtus & Consiliarius Norimbergensis, Patronus ac Cognatus meus multis nominibus devenerandus *in elegantissima Exercitat. ad Anton. Matthæi Disp. de Fundament. quibusd. Jurisprudentiæ aliter jaciendis, quàm vulgò jacta sunt. 12. Argentorati edita pag. mihi 29.*

V.

Contra verò posthabetur privatus respectus nativitatis in casu, ubi plebeja nubit Nobili Viro, quæ licèt nobilitatem non consequatur, cùm

nuptiæ non sint causa ejus efficiens, sed solus Imperator nobilitet, cùm tamen coruscat radiis & gloria mariti, ratio plebeji sui Status amplius non habetur, sequitur enim mariti sui conditionem & dignitatem *l. 68. de Senator.* Patriam. Bartol. Angel. Platina in *l. 7. C. de incolis.* Familiam, *l. 10. C. de re milit.* Domicilium *l. 19. de juris-dict. l. 65. de judiciis.*

VI.

Quamvis Conjugum alter ob delictum ab altero commissum pœnam sustinere, nec uxor maritum exulem factum stricto jure sequi teneatur, cùm vitæ solùm ac laborum ejus, non delictorum pœnarumque consors existat, posthabuisse tamen multas ex amore hunc respectum, ac secutas esse conjuges maritos suos historiæ nos edocent. Sic Lentuli Crustelionis uxor Sulpicia etiam prohibita maritum suum in exilium ejectum in Siciliam secuta est, nec recusavit se ipsam proscribi, ut fides sua in conjuge proscripto constaret. Valer. Maxim. *lib. 6. cap. 7.* Et Christianus II. Rex Daniæ regno exutus fidelissimam exilii Comitem Conjugem Elisabetham, Caroli V. sororem habuit: *Quæ cum ab omnibus Daniæ Ordinibus obedientiam ipsi tanquam Reginæ deferentibus in regnum revocaretur, maluit marito exilii socia esse, quàm sine marito regnare.* Chron. Saxon. ad Ann. MDXXIII. fol. 302. Posthabuit quoque privatum libertatis suæ respectum Mommorantia Condæi Principis Conjux, apud Gallos dum detinebatur Condæus Princeps maritus ejus: *Illa urgere pro libertate ejus; Obluctantibus*

instare enixius, ut videre, solari ut liceat: Neque id permissum, nisi & ipsa perpetuam carceris solitudinem unà ferat, fore alioqui suspecta commercia conjugum, postquam in viri conscientiam vocata uxor liberè hac illac digredietur. Prævaluit libertati amor in virum, dat se sociam carceri, quæ consors erat vitæ; *Aulam abdicat, subitque in carcere arcta custodia pœnam amoris rea conjugalis; quo facto supra sexus fragilitatem posito, dici haud injuria possit, inventam ea ætate fortem mulierem, quam negat Sapientia in sacris paginis; Et ipsa atri carceris horrorem patitur, rata solitudinem quæcunque viro procul urbes. Novo hic juramento inter conjuges sancitur fides: revivisceit ex novo consortio, malo utriusque astro sopitus ignis: Rebus letis sæpè dissolvuntur vincula Charitatis; adversæ arctius ligant; adeò felicitate corrumpimur! Post casum commiseratione invicem fortius amant se. Seqvuntur amplexus & liberi progenies Regia; felix sanè Gallis custodia, per quam propagatur Borbonium semen, solitudinis tristitiam compensante natura.* Grammont. *Histor. Gall. Lib. 2. ad Ann. 1616.* Post conjugalem sequitur Societas, quæ est

II.
PARENTUM & LIBERORUM.

SUMMARIA.

VII. *Quamvis liberi naturaliter seqvantur conditionem Parentum.* IIX. *Posthabendus tamen est privatus hic respectus*

in

tis liberis illegitimis. IX. *Respectûs maternæ nobilitatis non habetur ratio in liberis.* X. *Nec liberi in matrimonio ex L. Salica s. ad Morganaticam contracto nati sequuntur conditionem Patris.* XI. *Neque liberi ejusmodi in bonis succedunt, uti regulariter alii liberi succedere solent.* XII. *Non pene dissimilis ratio est liberorum post primum genitorum, ubi respectus eorum quoad qualitatem successionis posthabendus ob familiæ conservationem.* XIII. *Portio bonorum, quæ dicitur legitima & debitum bonorum subsidium, ex rationabili causa posthabito privato respectu potest tolli.* XIV. *Q. Num liceat posthabere conjugii vinculum in casu, ubi persona illustris v.g. Rex cum conjuge sua sterile habet matrimonium?*

Thesis VII.

Equidem habetur respectus Parentum, in Liberis, & hi naturaliter seqvuntur conditionem Parentum suorum, & participant de honoribus æque ac bonis. Sic in liberos utriusque sexus transit nobilitas, Joan. Ragnaud *tr. de nobilitate n. 25.* neque interest sive ante nobilitatis acquisitionem sive post eam sint nati, *arg. l. Senatoris filium in fin. ff. de Senator. l. 2. C. de Advocat. diverf. judic.* cùm æqvum sit, eum felicitate patris frui debere, *arg. l. pen. C. de Nupt.*

IIX.

Postponitur tamen hic respectus in liberis illegitimis, quos vulgò *Bastardos* vocant, qui nobilitatem à Patre non mutuantur Bon. de Curt. *tr. de Nobilit. c. 4. n. 4.* Tales enim nullum generis sui agnoscunt authorem, suntque novi quidam homines, veluti terræ filii, à se ipsis orti, & quoad patrem prorsus alieni, cùm nec ejus gentem, familiam, domumve seqvantur,

l. cum

l. cum legitima 19. de statu hom. Ludovic. de Sardis *tr. de natural. liber. p. 2. pr. n. 9. & 10.* Gabr. Palæott. *de Noth.* & *Spuriis c. 61. n. 7.* quare nec gentilitia nobilitate, utpote quæ agnationi & familiæ est annexa, non possunt gaudere Palæott. *d. l.* Imò respectus nobilitatis avitæ nec in Nepotibus, licet hi legitimo matrimonio sint nati, habetur ullus. *Nov. 89. c. 9. l. un. C. de mulier. quæ propr. serv. se junxer.*

IX.

Dictum est de gentilitio honore ad posteros in legitimo matrimonio natos transmissibili, quod tamen non de utroque parente, sed de Patre saltem est accipiendum; nam respectus maternæ duntaxat nobilitatis quoad ejus transmissibilitatem regulariter postponitur. Unde filii insignia matris non portant. Tiraquell. *de nobilit. c. 10. n. 21.* nec ejus cognomen possunt assumere, Bon' de Curt. *de nobilitat. p. 4. n. 28.*

X.

Contingit quoque, ut nec in legitimo matrimonio nati liberi compotes bonorum paternorum fiant, quod fit, si Pater Vir Nobilis ex ratione status connubium ad morganaticam sive ex Lege Salica contrahat, ita, ut in proprio sangvine posthabito propriæ nobilitatis respectu, nobilitas non continuetur, sed talem dignitatem, titulum ac ordinem obtineat, qualem pacta matrimonialia assignant, v. g. si Princeps Imperii ex uxore in hujusmodi matrimonio susciperet liberos, consvetudinis est, ut sequantur conditionem matris suæ, quæ si nobilis, liberi erunt

nobiles, si verò plebejæ conditionis, tunc etiam tales erunt. Et sanè justæ rationes sunt, quæ volunt posthaberi respectum paternum in obtinenda nobilitate, quas vid. apud Salmuth. *in Respons. juris pro matrimonio Principis cum virgine nobili.* Mylerus ab Ehrenbach *in Gamalog. Personar. imper. illustr. c. 6.* Linck. *in Dissert. de matrimonio Lege Salica contracto.*

XI.

Quamvis successio liberorum in bona parentum sit naturalis, eaque ex voto parentum omninò accidat; ad quod enim magis optamus pervenire id, quod vel ex afflatu fortunæ benignioris, vel ex sudore nostrum est, quàm sanguini nostro, adeò, ut Parentes de rebus suis disponentes, non possint non liberis suis relinquere ac debeant bona sua, licet non omnia, certam tamen & in Jure definitam partem. Posthabetur verò hic privatus respectus & amor in liberis ex eodem matrimonio ad morganaticam contracto natis, qui à successione ordinaria pacto interveniente removentur, ac certa portione alimentis & sustentationi sufficienti debent esse contenti; idque optima ratione est introductum, ut nimirum bona avita uniantur, ac familia illustris conservetur. Virtus enim unita manet fortior in se ipsa, quàm dispersa, cùm divisio præsertim reiterata, bona familiæ soleant attenuare, & quasi ad nubilum deducere, *arg. Nov. 18. post pr.* Sonsbeck *tr. de Feudis, part. 1. n. 44.* Besold. *Consil. 148. n. 11. & seqq.* Myler. *in Gamalog. personar. imper. illustr. cap. 6. §. 24.* Quam in rem Georg-

Richter. *axiomat. œconom. 132*, inducit quendam Fridericum Thuen ajentem, se aliquando fuisse consolatum senem de Orlamunda, & inter alia dixisse: *eum esse ex vetustissima nobilitate Thuringiaca*, sed responderat illi: *quid mihi dicis de nobilitate? etiamsi essem tam nobilis, ut perdicum pennæ mihi per nares erumperent, & non haberem pecuniam, tamen essem miser.*

XII.

Extra hoc matrimonium ad Morganaticam dictum liberi nati videntur esse quoad successionem æquales, quod juri naturali maximè conveniens est, cùm filii sint quasi pars corporis parentum, v. Oldrad. *consil. 94*. Jacob Afaa *tr. d. primogenitur. n. 36.* & amicitia ac concordia non magis servetur inter fratres quàm æqualitate, quò pertinet elegans dictum Hieronymi: *Jungat æqualis gratia, quibus junxit æqualis natura, lucrum pietas nescit pecuniæ, in qua pietatis dispendium est, quid miraris, si propter fundum & domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter unicam tunicam Jacobi sancti filios exarsit invidia. libr. d. Joseph. Patriarch. c. 2.* quod non aliter se habet in privatorum hereditatibus secundum leges Romanas *l. 2. 3. 4. C. de suis & legit. hered.* Ob publicam tamen utilitatem privatus hic æqualitatis respectus posthabendus est, cùm vix regni dignitatem & vim exiguæ regni partes tueri possint, Justin. *lib. 21. firmius futurum esse regnum, si penes unum remansissent, quàm si portionibus inter filios divideretur, arbitrabantur.* Grot. *d. J. B. & P. lib. 2. cap. 7. n. 14.* & meritò Robertus Brussius contra

ad-

adverſarios diſputabat, *Regna non poſſe dividi ad inſtar prædiorum privatorum.* Buchanan. *lib. hiſtor. Scot.* Satius igitur eſt in Regnis & Principatibus unum ſuccedere, regere & gubernare, atque ex conſequenti ut juri illi naturali, quo omnes filii æqualiter ſuccedebant, jus primogenituræ in regnis adderetur, quo major natu duntaxat ſuccederet in principatu ad Rempublicam optimè gerendam, prout ita conclùdit Michaëel ab Aguirre *part. 1. Apolog. n.* 113. Hinc Panormitanus interrogatus à quodam dixit: *Succeſſionum leges, inter ruſticos eſſe arbitrarias, mercatoribus commune utilius quàm diviſum, in nobilibus autem familiis, Regno & Ducatu, & ſi quid hujusmodi, oportere unicum & proximum heredem ſuccedere.* vid. Arniſæus *d. Republ. libr. 2. cap. 2. ſect. 7. n. 88.* Proinde privatus reſpectus, quo quis aliquâ re ſibi debita utifrui debet, poſthabendus eſt, excluduntur que ubique reliqui fratres & ſorores, omnesque qui præter primogeniti ſeriem lineamve vel nati ſunt, vel naſcuntur Arniſæus *relect. politic. lib. 2. c. 2. ſect. 10. n. 5.* ſive jus præcedentiæ, & ſacrorum, ſive facultatem in herede & imperiis ſuccedendi ſpectes; ex quo deductum volunt natu maximum in fratres obtinere *imperium*, tam quoad perſonas quàm res, ita ut hi tanquam inferiores, monitis pariter atque præceptis ad ea, quæ reipublicæ neceſſaria ſunt, obtemperare ac homagium præſtare neceſſe habeant; *Verùm* hodie in Germania nullo fiduciæ nomine poſtgeniti Apanagium tenere, nec homagium, nec Vaſallagium primogenito fratri præſtare,

nec

nec ei subjecti esse dicuntur Nicol. Betsio *d. pact. famil. illustrium. c. 8.* Besoldus verò *lib. 1. dissert. Nomicopol. c. 5. th. 7.* primogenito quodammodo subesse cæteros fratres dicit, quem excusandum volunt, si hoc respectu apanagii, non verò personæ apanagiati, intelligatur.

XIII.

Ex hisce non malè infertur, quòd, licet portio jure communi liberis assignata ex bonis parentum debeatur, quam *legitimam* seu debitum bonorum subsidium vocant, ita ut nulla patris dispositio pro valida sit, quæ fraudem legitimæ portioni infert, v. Carpzov. *p. 3. c. 12. d. 7. & 24.* ex rationabili causa, posthabito privato respectu tolli posse; ita ut certa illa quantitas, v. gr. si quatuor aut infra sint, tertia bonorum pars non debeatur; sed vel certa pecuniæ summa, vel certæ ditiones aut præfecturæ ipsis loco alimentorum assignentur, licet quantitatem legitimæ portionis longè post se relinquant. Huc faciunt benè dicta à Perezio *in Codic. tit. d. inoffic. testam. n. 109. & seq. n. ult.* *Legitima*, inquit, *juris naturalis non est, quamvis debeatur propter naturalem causam. Quod si enim naturalis juris esset legitima, filius, licet impius & ingratus, quæ naturâ essent, non posset amittere, amittit autem cùm rectè exheredatur. Accedit his exemplum militis, qui, per leges solutus solennibus juris civilis, non tenetur liberis relinquere legitimam, quodque testamentum validum scribat, liberis scienter præteritis, quibus non est querela l. 9. l. 24. C. h. t. quod certè jus civile permittere non potuisset, si legitima foret juris naturæ, à cujus præscripto non*

 libe-

liberat lex humana. Et ut concludam: Mihi contraria dicere videntur Interpretes illi, qui dicunt, jura Naturalia, quibus adscribunt legitimam, esse immutabilia, & fatentur tamen minui atque augeri posse. Rectius itaque dicerent, juris esse civilis, ideoque, ut mutari minuive potest; ita & jure alio civili tolli & funditùs eradicari, si modò insit ratio naturalis, quâ illud fulciatur. Alexander *lib. 7. Cons. 3. num. 9.* Castrensis *ad authentic. Novissima Cod. de inofficioso testamento num. 2.* Exemplum habemus in liberis ex matrimonio ad morganaticam contracto susceptis, nec non in postgenitis, seu Apanagiatis, ubi viget Primogenitura. Quorum omnium utilitas privata & respectus majoris emolumenti posthabetur, præ respectu Conservationis Domûs; nihil enim magis imminuit opes ac Principatus, quàm divisiones tam frequentes, & inter tot stirpes, ne dicam factæ, præsertim in illustribus personis, quarum possessiones, si in varias partes discerpantur, vilescunt Schönborner. *lib. 2. polit. cap. 11.* Ergo licet diminutio legitimæ respectu reliquorum liberorum *jus durum* videatur, tamen si spectes finem, qui intenditur, consistens in splendore ac familiæ conservatione, *æqvissimum* censendum est; v. Tholosanus *d. Republica libr. 7. cap. 5. n. 2.* Molin. *ad consvetud. Paris. tit. 1. §. 1. gloss. 4.* Tiraquell. *d. jure primogen. quæst. 23.* Springsfeld *tract. d. Apanag. cap. 10. n. 4.*

XIV.

Additamenti loco quærere lubet, *Num Rex propter defectum sobolis liceat posthabere vinculum matrimoniale & divortium cum uxore illustri committere?* Equidem sunt, qui existimant Regi licitum

tum

tum esse propter sterilitatem seu defectum sobolis matrimonii sui vinculum posthabere atque ex ratione status divortium facere cum uxore, tùm, quod in regno turbæ ac machinationes contra Imperantem soleant oriri atque ejus mortem expetere, tùm quod in sterilibus nequeat efficax voluntas generandi prolem inveniri, quæ est finis conjugii, & hoc negato, negetur firmum matrimonium, cui consentire videtur Augustin. *libr. d. banno Conjug. cap. 5. Non est matrimonium*, inquiens, *ubi spes prolis deficit.* & Felin. *ad c. 8. X, d. for. competent. vers. demum scito;* ubi ait: *Matrimonium non est, quando mulier naturâ ita sterilis est, ut deficiat spes concipiendi*, plura vid. ap. Sanch. *lib. 9. d. 92. n. 25.* Verùm cùm sterilitas à Deo proveniat *Gen. 16. 3. Psal. 127. 3. & Psal.* 113. 9. ac nemo sciat, an sterilitas illa sit perpetua, annon per Dei singularem providentiam, quæ Respublicas moderatur in bonum finem, successu temporis corrigibilis sit, quæ hominibus videtur incurabilis; cùm nullus hominum noverit, quo tempore Deus horum conjugum lectum fœcundaturus sit; ne dicam de infelici fato ejusmodi divortiorum, cùm repudiatæ conjugis, tum offensorum propinquorum injurias expulsæ vindicantium, dicendum erit, non esse licitum Regi ita divortium facere cum uxore. Secus est, si sterilitas prodeat ex notoria quadam impotentia, quæ etiam privatis hominibus causam quodammodo divortii, & conjugi licentiam novarum nuptiarum præbet, vid. Beust. *d. matrimon. p. 2. c. 14.*

SECTIO POSTERIOR DE POSTHABENDO PRIVATO RESPECTU IN STATU PUBLICO.

SUMMARIA.

I. *Quid per statum publicum intelligatur.* II. *Posthabendus est privatus injuriæ vindicandæ respectus erga Principem.* III. *Parendum duro Imperantis mandato, quo rerum possessionibus privantur subditi.* IV. *Res privatorum divitum urgente necessitate extremâ usui Reipublicæ cedi debent.* V. *V. Princeps subditis integra bona vel prædia ob conservationem universi auferre de jure potest.* VI. *Si urbs valliis, fossis aut munimentis indigeat ad securitatem & ad amplificanda publica cedere debent possessiones suas subditi.* VII. *Posthabito immunitatis respectu collectæ, tempore necessitatis sunt solvendæ.* IIX. *Equidem nemo potest cogi ad vendendum, nisi publica utilitas hoc præcipiat.* IX. *Subditi casas suas tenentur diruere, si Princeps velit habere splendidiora ædificia.* X. *Pecuniam mutuò dare obligantur subditi ad alendum militem* XI. *Num quis cum internecione sui ad servandam Rempublicam se tradere possit hosti.* XII. *Num subditus Principem invasorem posthabito erga Superiorem respectu interficere possit. Refertur memorabilis historia.* XIII. *Posthabito filiationis respectu contra Parentem filius Domino Feudi tanquam Vasallus opem præstare tenetur* XIV. *Num Pater possit occidere filium.* XV. *Num filius, tanquam Carnifex, possit Patrem jussu superioris occidere.* XV. *Parens delinquentem filium in exemplum ac terrorem aliorum graviori pœna potest afficere.* XVII. *Judex posthabito respectu judicet*

THESIS

THESIS I.

PEr statum publicum heic nihil aliud intelligo, quàm conditionem illam civilem vel ipsius Imperantis, vel totius Corporis Reipublicæ, in qua itidem diversus erga diversos est habendus respectus; aliter enim erga Principem, aliter erga Eminentiores, aliter ergaÆquales, aliter denique ergaExteros nosmet efferimus atque obligatos profitemur.

II.

Quod personam Principis concernit, posthabendus est privatus subditorum respectus in casu injustorum factorum, utputa injuriarum vindicandarum; non enim, sicuti inter privatos licet maledicta maledictis repellere, id adversus Principem licebit. Insignis locus est *Ecclesi. 10, v. ult.* ubi in universum prohibetur, ne quis Principi maledicat: *Ne quidem in conscientia tua Regi maledicas, & in penetralibus cubilis tui ne maledicas Diviti: Quia avis cœli deferet vocem ipsam, & habentes alas annunciabunt verbum.*

III.

Et quamvis amor subditorum erga res privatas magnus sit, ac propterea alter sangvis dicatur tam in conservando quâm in amittendo; nihilo tamen minus posthabendus est hic privatus respectus: ac parendum Imperantis mandato, licet durum sit, quo jure quæsito rerumque possessionibus privantur subditi, parendum illis nihilominus, si publica instansque urgeat necessitas, certa svadeat utilitas reique alicujus efflagitet magnitudo. Hinc Cicero *2. d. legibus* sic in-

quit: *Respublica nomen universæ civitatis est, pro qua mori, & cui nos totos dare, ac omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus.* Idem 4. *ad Herenn. Non mihi soli, sed etiam atque adeo multò potiùs natus sum patriæ.* Tenetur quilibet civis conferre pro rata parte, quantum ad conservandum statum publicum requiritur, quo ipso etiam singulorum securitas stat. Quota census pars, & quo tempore id solvenda, summi imperii est designare. Pufendorff. *dissert. d. obligatione adversus Patriam* §. 28.

IV.

Hinc urgente necessitate extremâ res privatorum divitum usui Reipublicæ cedi atque conferri debent, adeo ut nec in ejusmodi difficultatibus hi è Republica discedere aut se eximere possint, *auth. res quæ subjacent. C. commun. d. legat. l. 3. C. d. primipil. lib. 12.* quilibet enim, qui se civem gerit, obligatione quadam naturali, & hoc ipso, quod civis est, in tantum Reipublicæ adstringitur, in quantum finis ille, h. e. bonum publicum potest intendi, augeri & amplificari, quoque magis finis ille intenditur, eò magis etiam singulorum in ordine ad societatem augetur beatitudo, add. Grotius *d. jur. bell. & pac. lib. 1. c. 1. §. 6.* & publicæ utilitatis ratio semper est ducenda potior, etiam cum aliquo privatorum incommodo Bocer. *d. jure collectar. c. 6. n. 24.* Hinc præclarè Autor ad Herennium ait: *qui in navigando se, quàm navim mavult, incolumem: ita vituperandus, qui in Republicæ discrimine suæ plus, quàm communi saluti consulit. Nave enim fracta multi incolumes*

eva-

evaserunt: ex naufragio Patriæ salvus nemo potest enatare.

V.

Princeps subditis interna bona vel prædia ob conservationem universi auferre de jure potest. Posthabendus hîc respectus privatus ac juvanda est publica utilitas, cùm autoritas publica major esse debeat potentiâ & viribus singulorum Boxhorn. *lib. 1. Instit. politic.* Quemadmodum enim urbanorum & rusticorum prædiorum inter privatos quædam servitutes sunt, ita contractu quodam tacito Respublica hanc sibi potestatem & privatis servitutem indixisse videtur, ut, quotiescunque opus, quàm minimo fieri possit privatorum damno, privata publicæ necessitati cedant. Boxhorn. *disquis. polit.* 3. Id quod confirmat Æneas Sylvius *libr. d. ortu & autorit. S. Rom. Imper. ad* Fridericum III. Archi-Ducem Austriæ I. *Nempe liberum est Imperatori,* inquit, *non solùm homini nequam, sed etiam viro bono ac de Republica bene merito proprium agrum, proprias domus, propriasque possessiones auferre, si Reipublicæ necessitas id expostulet* &c. *Quamvis enim hoc singularibus hominibus videatur esse damnosum,* pergit ille, *minus tamen malum est privatos viros luere, quàm Rempublicam pessundari.* vid. Connanus *lib. 1. comm. jur. civil. c. 16. n. 9. seqq.* Amaya *comm. in libr. 10. C. d. ann. & tribut.* Idem *lib. 1. observ. jur. c. 1. n. 63.* Lælius Zechius *d. principat. ejusque administrat. lib. 1. c. 5. n. 5. seq.* Covarruv. *tom. 2. lib. 3. variar. resolut. c. 6. n. 5.* Petr. Anton. de Petra *de jure quæsito alteri non tollendo.*

VI. Hinc

VI.

Hinc, quamvis Privatus agro aut fundo suo benè uti, nec minus ex ædificiis commoditatem habere queat, tenetur privatum hunc respectum posthabere, ac si urbs vallis, fossis aut munimentis ad securitatem indigeat, ad amplificanda publica cedere possessiones suas, ne privata ista ædificia impedimento sint, tuitioni & defensioni murorum vel propugnaculorum, ex eodem principio, quòd utilitas publica privatorum utilitati etiam hoc casu sit anteferenda, Cujacius *in recitat. C. d. operib. publ.* ut Princeps ex causa necessitatis atque communis utilitatis subditi sui fundum, pro dilatandis fossis civitatis vel extruendo propugnaculo occupare possit. Petr. Ant. de Petra *d. jure quæsito per Princip. non toll. c. 32. sect. 5. n. 13.*

VII.

Habens immunitatem a collectis seu tributis meritò ea utitur, neque ad vicinorum importunas sollicitudines ut ab ea recedat, atque quid conferat, cogi potest; Verùm instante necessitate respectus libertatis posthabendus, ac quilibet cætera immunis ad conferendum naturaliter obstrictus est, *Da operam*, inquit Cicero *libr. 2. officior. ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum.* Quæ enim respublica aut regnum sine tributis? *Nec enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendium sine tributis haberi queunt.* Hinc se detrahere publicæ saluti leges dicunt eum, qui ejusmodi onera recusat *l. 1. §. in causa. ff. d. quæst.* juxta sacrum elogium,

pec-

peccare in Deum videtur, qui tributa non solvit. *Matth. 22. Apostol. ad Roman. c. 13.* Neque ulla immunitas tam firma existit, quam ejusmodi Necessitas non infirmet, non destruat. Unde verbum *oportet* Grammaticis impersonale esse, quod necessitas nullam, quantumcunque immunem, & privilegiatam personam respiciat, eleganter sentit Goswinus ab Essbach *differt. d. Collect. th. 114.* Quod ita extensum volunt DD. ut licet quis libertatem à collectis bellicis præscripserit, neque quidquam eo nomine contulerit nec conferre teneatur, non minus ac ille, qui immunitatem ab his collectis specialiter ex Principis privilegio adeptus est, nihilominus tamen tempore belli, si præcisa urgeat necessitas, cui aliter provideri non possit quàm collectando exemtum, ut: si cæterorum facultates non sufficiunt: tunc enim nulla privilegia aut concessiones exemtionem tribuere; Necessitas, quæ legem non habet, & Patriæ incolumitas svadet; à tali siquidem collecta, quam publica Necessitas eaque summa, extrema & maxima imperare compellit, immunitas præstari nullatenus potest, per *l. 1. C. d. indiction. l. 7. C. d. annon. & tribut. l. 19. d. decur.* Thomas Maulius *d. homagio tit. 9 n. 83.* Carpzov. *respons. Elector. lib. 4. resp. 71. n. 4.* D. Ferdin. Christoph. Harpprecht. *differt. d. præscript. immunitat. à collectis c. 4. th. 20.* Unde licet plerique existiment non posse Principem Vasallos suos ratione bonorum feudalium collectare, excipitur tamen casus magnæ & insolitæ publicæ necessitatis, ut in-

terminis Bocerus *tr. d. collectis c. 4. n. 12.* Ægidius Thomatus *tr. d. collectar. exaction. n. 21.*

IIX.

Res suas quilibet bonus paterfamilias studet omni servare modo, quò habeat commodo tempore carioris annonæ; neque potest quis regulariter cogi ad vendendum res suas; Respectus verò ejusmodi asservationis tendit ad pecuniam quærendam ac se suosque ditescendum; *l. invitum. 11. C. d. contrah. emt. l. nec emere 16. C. d. jur. delib.* Et si quis per concussionem & impressionem officialium vendere fuerit coactus, venditio debeat rescindi *l. 1. C. de rescind. vend.* ac restitutio absque refusione pretii peti queat *l. 11. C. d. his quæ vi metusve caus.* Verùm posthabendus est iste corradendi respectus ob utilitatem publicam, ubi tam civibus quàm ruricolis præcipi potest, ut res ad victum pertinentes justo pretio vendant, ne dum ea supprimunt, aut uberes inde proventus expectant, annona magis ingravescat & populus fame laboret, *l. 2. C. ut nem. lic. in emt. spec. se excus. lib. 10.* Fr. Marc. *p. 1. decis. 541. n. 3. & 6.* Quoties ergò cunque annona deficere videtur, nullus se excusare potest, quin Edicto ad vendendum se submittat, atque si multi in obsidione vel navi communi sunt, & quidam frumenta habent, quibus alii destituuntur, illi, qui vendant aliis, cogi possunt, *l. 2. §. 2. ad L. Rhod. d. jact.* conf. Stephan. Fagundez. *d. 7. & 7. l. 5. c. 28. n. 8.* Et sic tempore publicæ necessitatis quis cogi potest vendere pretio ab ipso Administratore Reipublicæ statuto, quamvis id pretium sit minus,

minus, quàm illud, quo res illa posset communiter vendi, v. Covarruv. *lib. 2. var. resolut. tom. 2. cap. 3. n. 5. in fin.* Roman. *in l. 1. solut. matrimon. n. 12.*

IX.

Subditi in civitate quadam illustri viventes sæpius exiguis domiciliis contenti intus curant, unde commodam vitam possint ducere; Si tamen splendidiorem velit princeps habere civitatem, posthabendus ille privatus, forsam majorem possidendi summam pecuniæ, respectus, nec permittendum cuiq; pro more suo vivere. Unde subditi casas suas viliores debent diruere, ædificia vilia dejicere, & splendidiora in locum eorum reponere. Quamvis civitatibus compluribus, præsertim nostris, expediat luxum constringere, omnemque superfluitatem tollere, & ab ædificiis supra modum splendidis abstinere; permultarum tamen, præsertim maritimarum, validitas atque necessitas postulat tolerare illud malum, quod in mores civium inde redundat & florentissimo ac splendido ædificandi modo alias gentes ad inhabitandum invitare, atque hac ratione potentiam suam adaugere. Negandum enim non est plurimarum civitatum, in Belgio præsertim, potentiam valdè adauctam esse modo ædificandi ornatissimo, vid. Bœcler. *differt. de potent. civit.*

X.

Eadem ratio est in mutua pecunia cogenda à Subditis, quibus quidem haud denegatum est, ut habeant pecuniam præsidiariam & in arca repositam, neque cogi possint ad expendendam;

Urgente tamen necessitate extrema & inevitabili possunt adigi ut mutuò dent argentum aurumque ac contribuant, cùm sine nummis bellum geri feliciter non posset. Benè in hanc rem Petrus Gregorius Tholosan. *lib. 3. d. Republ. c. 3. n. 1.* *Quemadmodum*, inquit, *singulorum necessitas pecuniæ & nummi inventione exiit, & acquisita pars in pecuniâ fuit in civitate recepta: sic & communium publicarum rerum, & reipublicæ utilitas postulavit ex pecuniis ærarium conflari, quibus non tantum inter cives negotia communia agerentur, sed etiam inter extraneos, quorum ope & auxilio Princeps & Resp. egerent, & ut per pecunias ex variis rebus collectas, onera subditorum possent commodius peræquari, pauperes relevari & benè meriti remunerari. Utque privatis explicandis negotiis pecuniæ faciliorem dant causam, sic quoque publicis. Atque sicut inter privatos pecuniæ quæsita & conservata, & cum ratione expensa, patrifamil. secundùm occurrentes necessitates, maximum adferunt commodum: Sic in Republ. quæsita reservata, & dispensata maximam habent vim.* Multa enim negotia præclara in privata, & publica causa infeliciter succedunt ob defectum præsentis pecuniæ: & ob paupertatem vel inopiam, à ditioribus Respublicæ facilè vel armis vel donis inescantur, aut subjiciuntur & vincuntur. add. Försterus *in Tacit. lib. 4. Annal. verb. pacem exuere.*

XI.

Hactenus de rebus, quatenus posthabito privato respectu ob causam publicam è nostro dominio sint dimittendæ. Quid, si innocentis pri-

privati alicujus persona sit consideranda, ut v. gr. ad placandam hominis alicujus iram possit cum interitu suo servareRempublicam,& sic universum, an posthabendum sit innatum semetipsum conservandi studium ac præferenda saluti propriæ salus Reipublicæ periclitantis ? Casus in eam rem extat apud Libanium *tom. 1. declam. 27. Tyrannus ex urbe propinqua postulavit formosum adolescentem, adjectis de bello inferendo, ni traderetur, minis, Civitas bellum maluit tolerare, quàm adolescentem tradere. Cum jam gravi obsidione eam premeret tyrannus, pater adolescentis interfectum filium de mœnibus projecit, cædis mox, soluta obsidione, accusatur.* Super quo casu vid. Bœclerus *ad Grot.* D. Pufendorffius *differt. d. obligation. adversus Patriam §. 24.* Illud, inquit, extra dubium ponendum judicamus, non teneri civitatem ejusmodi hominem defendere cum exitio. Sic enim & ipsa peribit, & innocens ille nequidquam servabitur. Neque iste postulare potest, ut pro se & secum tota civitas pereat. Ergo hoc relinquitur misero, ut quantum potest sibi ipsi consulat fuga, aut ausu quamvis periculoso. Ubi omnia in cassum cecidere, ferat calamitatem, in qua tamen utique animus servari impollutus potest, siquidem nefas est voluntaria morte ejusmodi fœditatem declinare. Civitas autem postquam ipsum pro viribus defendit, & omnem movit lapidem, ut per fugam aut alia ratione elabi posset, ubi isthæc non succedunt, & clades imminens aliter depelli nequit, ipsum deserere demum potest, id est, non prohibere, quo minus ipsum Tyrannus depre-

hendat. Ut autem ipsa eum in tyranni manum tradat, aut ut eum cogat, quo seipsum dedat, neque fas esse, neque necessarium arbitramur. Interim certum est, quòd, licet omne periculum sit subeundum pro patria, de quo possit aliquo modo sperari evasio, non certa & indubitata mors.

XII.

Alia sanè ratio est, quando Princeps innocentem invaderet, neque innocens aliter quam cœde Principis vitam suam servare posset, num etiam posthabito erga Superiorem respectu, Principem interficere possit? Si qua est quæstio, quæ gravis esse videtur, inter eas hæc referenda est. Pugnat pro defensione amor & conservatio sui; pro Principe sanctitas ipsius, cum persona multis sit utilis, ut nec invadi, neq; occidi posse dicendum sit. Memorabilis est casus, qui Ottoni M. Imperatori, prout historia est apud Crusium *Annal. Svevic. p. 2. lib. 4.* accidit: *Imperator Otto cum Papiæ esset, Principibus die Paschæ solemne convivium paravit, in quo omnes cibos sibi appositos tolli jussit, ac pauperibus distribui. Cibo itaque alio postea, dum ipse paulum secessisset, mensa ejus onerabatur. Ibi filius Ducis Sveviæ ac mensa Imperatoris frustum placentæ tollens percussus est, in caput à Dapifero baculo quem gestabat, ut sangvis efflueret. Quod cùm vidisset quidam Eqves strenuus, cujus institutioni creditus erat ille puer, facto improbo succensus, Dapiferum continuo interfecit. Rediens Imperator, vidensque, quid factum esset, vehementer iratus est, ac priusquam accumberet, militem occidi imperavit. Hic*

 verò

verò dum imperio perturbatus, de vita sua laborare, ac dilationem sententiæ obsecrare, propter summi Festi solennitatem. Et quia Pascha Dei (*inquit ap. Viterbiensem*) Rex miserere mei. *Recusavit Imperator (quia se juramento obstrinxerat) atque sententiæ suæ executionem absque mora faciendam clamabat. Ibi homo de se actum esse cernens, fecit quod interdum homines desperati faciunt, ut omnia prius tentent, quàm animam dimittant: In Cæsaris barbam involat, manum pilis complicat, illum humi prosternit, premit, urget, strangulat, barbam evellit. Imperator (nemine liberandi causa accurrente; Ne, si eum comprehendere conarentur, is priùs Cæsarem confoderet) in tantas angustias conjectus se dimitti orat, impunitatem promittit, sanctè affirmat. Tum vix salute potitus, cùm respiraret, suique eum ad supplicium hominis incitarent: Nequaquam, inquit, quia digna facto meo passus sum: Itaque adversarii fortitudinem laudavit, tum liberum abire permisit, ita tamen, ne amplius in conspectum suum rediret. Ille tamen nihilominus in Curia manens, curam adolescentuli gerebat. Nomen fuit huic Nobili, Henrico de Kempton, sive de Kempten. Cumque adhuc in illius loci obsidione Otto esset, illi qui obsidebantur, quodam ardentis Syrii die, eruptionem fecerunt, Cæsare quidem meridie somnum capiente. Tunc Alemannus eques (ille Henricus, de quo prædictum est) qui in tentorio proxime hostem fixo diversabatur, & in solio sedebat lavans, conspecta periculi magnitudine nudus exilit, lancea & clypeo corruptis clamat,* Hier Römisch Reich / *Hic Romanum Imperium. Atque ita fortiter agens quemvis cætera nudus hostium progressum*

im-

impediit: donec arma imperatoria concurrerent. Admiratus tunc præclarum factum Cæsar: Quis ille quærit, qui tam forte se pro nobis præstitit: Quo cognito postridie Henricum accersit & interrogat:

Nonne tuis manibus nostri periere capilli;
Miles ait: Fateor, sed erat mihi culpa remissa.
Surgit in amplexus Equitis mirabilis Ottho:
Dixit ei, gaudere meis te rebus adopto.
Regia facta geris, semper amicus eris.

XIII.

Causa quoque Vasalli, præsertim ejus, qui nobile tenet feudum, publica est, tamque arcto vinculo suo Domino constringitur, ut adversus omnem hominem, excepto Imperatore obligetur *c. un. d. nov. form. fidel. 2. F.* 7. & *c. un. Hic finitur lex 2. F. 28.* ubi tradit Feudista: *Contra omnes debere Vasallum Dominum adjuvare, & contra Fratrem, & Filium & Patrem.* Et quamvis hæc lex dura sit, & naturali rationi obsistere videatur, siquidem à filio tam jus divinum quàm naturale requirit, ut filius Parentes honoret, iisque obsequium præstet; nam Parentes non amare, summa est iniquitas, non verò agnoscere, extrema insania, ait Seneca *de benef. 1.* Postponendus tamen hic respectus ille privatus, in iis nimirum casibus, in quibus patriam vel religionem Pater oppugnat, *argum. l. minimè. 35. d. religios. & sumt funer. l. ult. C. d. delat. lib. 10. l. 11. ff. ad L. Jul. d. annon.* Sonsbec. *d. feud. part. 1. n. 38.* non minus in iis casibus, ubi dominum injustè offendit, dum enim jus naturale oppugnat, non immeritò iterum oppugnatur. Siquidem bene-

ficio

ficio juris naturalis frui non debet, qui contra jus naturale peccat, & qui contra leges aliquid committit, earum privilegiis gaudere non debet *l. auxilium. 37. d. minor. l. fin. §. fin. C. d. jure deliberandi.* Vultej. *d. feud. lib. 1. cap. 10. n. 33.* Itaque ista obligatio Vasalli filium contra Patrem non simpliciter, sed secundùm quid intelligenda est. Svadent tamen Interpretes & Moralistæ, ut casu, quo Vasallus filius contra Parentem militare debet, à Domino feudi impetret, ut patiatur alium ipsius nomine sisti, cùm aliàs ipsemet in persona uti loqvuntur teneatur servitia domino suo præstare, *2. F. 23. in fin. 55. §. firmiter junct. 2. F. 26. §. si quis decesserit. 99. in fin. & 2. F. 36.* v. Magnif. Struv. *in Synt. jur. feudal. c. 9. aph. 8. 9. 10. & c. 11. aph. 6.* Non tamen posthabendus est respectus Patriæ; Hæc enim in promissione Vasallitica semper censetur excepta, ita, ut contra eam Dominum Vasallus non teneatur defendere, *arg. l. 7. d. J. & J. l. 35. d. religios. & sumt. funer.* Est enim Patria, teste Cicerone, antiquior parens, quam si quis curaverit, major ei profectò, quàm parenti debetur gratia. Et omnia, quæ à nobis geruntur, non ad nostram utilitatem & commodum, sed ad patriæ salutem conferre debemus, Borchold. *d. feud. c. 7. n. 43.* Sylvan. *d. recognit. feud. quæst. 109. n. 17.* Et huc referri etiam potest Religio, quæ itidem tacitè excepta est, *arg. can. juratos. 15. qv. 5. cap. ea te X. d. jurejur.* Non enim minus hæc quàm patria cuilibet chara esse debet, quippe quòd fulcrum Imperiorum sit, servare religionem, vid. Lipsius *lib. 4. c. 2. Polit.* ubi inquit:

Tolle hoc vinculum: vita hominum stultitia, scelere, immunitate complebitur, Schrader. *d. feudis part. 6. c. 5. n. 6.*

XIV.

Amor Parentum erga liberos quàm tener quamque vehemens sit, vix exprimi potest, ut potiùs omnia agant, quò parcatur liberis; Verùm amor patriæ omni privato amori præferendus est. Nam si contra Rempublicam quid mali machinentur, Parentes, si periculum in mora esse videatur, liberos possunt occidere. Benè in hanc rem Dn. Pufendorff *d. dissert. d. obligat. advers. Patriam* §. 34. ait: Sanè & hoc incumbit patri, ut filium formet in utile membrum Reipubl. multoque magis, ut eum publicè perniciosa machinantem omnibus modis coërceat. Sic Fulvius Senator filium ad Catilinam (citra dubium ignaro aut vetante patre) tendentem, ex itinere retractum necari jussit. Salut. *Catilin.* Sic Brutum & Manlium in filios secures expedisse constat ex Liv. *lib. 8. 12.* Ita verissimum est, quod Cicero *lib. 1. d. Offic.* disserit: Cùm omnia ratione, animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quàm ea, quæ cum republica est unicuique nostrum. Chari sunt Parentes, chari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam, & in eâ funditùs delenda occupati & sunt & fuerunt. & *pro Milone*, Hoc animo semper fuimus omnes

omnes in patriæ proditoribus opprimendis, ut quoniam noſtra futura eſſet gloria, periculum quoque noſtrum.

XV.

Quoties accidit pœnas ſumendas eſſe de malè feriatis hominibus, opus eſt miniſtris juſtitiæ, ſine quibus decreta ſanguinaria executioni dari nequeunt; Et cum tales ſint Carnifices publica autoritate conſtituti,& caſus eveniat,ut nemo ali⁹ quàm Pater cujusdam hominis ad mortem damnati pœnam exequi poſſit,quin juſſu Superiorum hoc peragere, imò poſthabito paternitatis reſpectu munus ſuum,quo fungitur,publicum,non ut Pater, ſed uti executor obire tenetur, præſertim ubi per intermiſſionem executionis damnum eveniat Reipublicæ, cui ſe inſervire noverit. Non ſecus ac ſi quis ſemetipſum juſſu Magiſtratus poteſt interficere imò debet, cùm vicario Dei juſta jubenti in omnibus ſit obtemperandum, v. Lipſius *in manuduct. ad Philoſoph. Stoic. lib. 3. diſſert. 23.* Niſi offenderetur conſcientia Rei, Magiſtratus conſvetum in ſuppliciis proceſſum obſervare debet Georg. König. *in caſibus conſcient. cent. 6.* Pruckner. *in manud. quæſt. illuſtr. Theolog. cent. 7. qv. 55.* Id quod negant Hobbes *d. cive c. 6.* Keckerman. *in curſ. Philoſoph. diſp. 23. qv. 30.*

XVI.

Liberi munimen aulæ regiæ ſunt, dicente Euripide. Si tamen in exilium reipublicæ conjurent, hiſtoriæ nos edocent,non peperciſſe Patres liberis ſuis. Memorabilis ſanè præ omnibus hiſtoria eſt

gis,de qua Meteranus *lib.3. histor. belg.* ad ann. Chr. 1568. pleniùs verò eam exponit Thuanus *Histor. lib. 43. Sub id tempus*, ait, *de Carolo Hispanorum Principe in carcerem conjecto affertur. De eo varii sermones sparsi, in id consentientes, quòd juvenis acer, vehementer ac supra modum ambitiosus & imperii cupidus suspicionem novarum de se, apud patrem suspicacem excitasset. Voces certe ejus, quasi Belgarum* (in quos tunc inquisitio feralis parabatur) *vicem miserantis & seditionem excitantis, ab emissariis excepta, & ad patrem perlata fuerant ; quas sic pater accipiebat, quasi filius fugam & protectionem secretam in Belgium meditaretur : odia praterea manifesta notaverat contra Albanum, Rodericum Gomesium Silvam & Johannem Austrium, nothum, qui principem gratia locum in aula tenebant. Induxerat & in animum, insidias sibi à filio paratas, idqve pluribus indiciis sibi persvaserat.* Enumeratu longius fortasse foret, quibus artibus munere se adversus omnem impetum studuerit, & qua deceptus tamen iterum calliditate fuerit hic Carolus, exponere. Per insidias temporis ac invidorum, altissimo oppressus somno, excitatur, cùm *Lerma Comes* sclopperos gladiosque sub pulvillo delitentes subtraxisset. Pulsante eum cubito *Gomesio Sylva, Feria Duce*, vix potuit expergefieri. Tandem depulso somno, ubi se captum, & patrem adesse cognovit, mortuum se inclamans, insuper etiam adstantes, ut se interficerent, lamentabili rogavit ejulatione. Increpitum gravi oratione filium Philippus surgere jubet, amotoque omni assveto famulitio custodes ei apponit, qui vestem lugubrem misero cir-

circumponunt addito nigro pileo & aulæis, lectoque principali magnificentiâ strato mox detractis, ex omni regia supellectile curule grabatum cum culcitrâ reliqvum fecerunt. Ita ille omni ope destitutus ex desperatione in furorem vertitur, ut non una via mortem sibi consciscere aggrederetur. *Igitur Pater ubi vidit* (utimur adhuc verbis Thuani) *sic ingenium filii esse, ut nec ratione, aut castigatione ulla sanari posset, re rursus cum S. Inquisitionis officio communicatâ, aeqvum judicavit, priusquàm ille sibi ipsi detestando parricidio manus afferret, ei tanquam reo damnato vim à legitimo Magistratu afferri. Quod, ut Regii nominis Majestati consuleretur, clam factum, propinato in jusculò veneno; quo sumtò, paucis post horis, viribus linquentibus, defecit, cùm XXVII. annum attegisset.* Adeo periculosum est, hoc crimine vel dubiis saltem notis attineri, ut in proprio vindicare sangvine nefas læsæ Majestatis, â Summatibus haud dubitatum fuerit, qui districtâ curâ autoritatis retinendæ, perennem Regni firmitatem veluti ex fonte derivare solent. v. Dn. Kirchmajeri *diss. Causam Parmenionis indictа causa trucidati exponens. §. 15.*

Th. XVII & Ultima.

Si officium quoddam publicum ac grave est,

agilitate tuâ. & Franciscus Junius: *Ne quæras fieri judex , ne non valeas injustè facta tollere , ne quando metuas à facie potentis & ponas offensionem in recto itinere tuo.* Sebastianus Castalio: *Ne stude judex fieri, ne injurias ferre non possis,(quia,* ut in margine addit , *judex eorum odiis & injuriis obnoxius est, quos condemnavit) ne fortè potentis personam veritus , integritati tuæ labem inuras.* Judex ergo inprimis privatum ex affectibus conceptum respectum posthabeat , nam affectus pestem in judiciis effectivè repræsentare solent , & à judice longè abesse debent Prov. *17. 15. & 23. & cap. 18. 5. & cap. 28. 21.* remque consilio & cogitatione videre non sinunt. Ideoque rectè juxta Cicer. *3. offic.* ponit quis personam amici , cùm judicis induit. Neminem injuriâ afficiat, quia cicadæ canent hoc in campis , i. e. pauperes oppressi in suis Agris sonant has querelas , & movent Deum , ut puniat Tyrannos. Ne sit ullus personarum respectus in judicio , sed illibatò judicium procedat, fideliter omnes judices admonent Evangelista Johann. *c. 7. v. 24.* Hieronym, Savonarola *in loc. commun.*

Quattuor illa : Timor, Munus, Dilectio, Rancor

Sæpè solent hominum rectos pervertere sensus.

Idem est , quod habetur *in can. quatuor 78. X. qv. 3. quatuor modis humanum pervertitur judicium :* Timore , *dum metu potestatis alicujus verum decernere formidamus.* Cupiditate, *dum mune-*

neribus datis vel promissis animus est obligatus: Odio, *dum alterutri litigantium infensi sumus: Postremò* Amore, *dum propinqvum vel amicum alienare timemus.* Si Judex pius est, si timet omnipræsentem Deum posthabitis omnibus mundanis rectum faciet. *Tantum!*

COROLLARIA.

I.

ADvocato non licet adversarii cavillationes & fraudes eludere fraudibus & cavillationibus.

II. Spurii non sunt personæ turpes vel infames,

III. Vasallus feudo suo ob servitia Domino in causa evidenter injusta non præstita privari non potest,

IV. Ut mulier de beneficio non edocta, à juramento, quio SCto Vellejano renunciavit, recedere possit, æquitati magis convenire putamus.

V. Venatores contra interdictum Prin-

Ad Politiſſimum WILLIUM U. J. Cultorem

PRÆSES.

SCire noſtrum ſecretum à Sapientia, & quando aliis non intelligit, quales opes noſtri ingenii ſint, ſcientiæ deliquium, & ſine ſplendore eruditionis umbra eſt. Laudem verò habet, qui legit, qui audit, qui confert cum aliis, qui viam præeuntium veſtigia tutò legit. Factum ergo bene; Amiciſſime Willi, *optimaq; cauſa eſt, dum accenſa tua virtus indolesque erectior aſſurgit, atque hanc noſtram Cathedram eligit. Laudem mereris, dum non levem tritamve materiam in auguſto Themidos theatro acutè defendis. Perge cum doctis vivere; cum doctis diſcere, & docta ſcribere; nec morare malevolorum livorem, qui indubius character melioris ſortis eſt. Deus dotes ingenii tui indies augeat, ut in ipſius honorem prendant faſtigia, laborque tuus Tuæ olim ſit ſacratus Patriæ. Vale.*



ALma Themis, justi didicisse fideliter artes,
Munere pensabit splendidiore TIBI!

Hæc gr. scrib.

CHRISTOPH. WERTHER
Mühlpfort / D.

QVòd magis obstrictus communi quisque saluti,
Atque suæ vivat: NOSTER AMICE, doces.
Hinc æqvum sanè, cùm sors violentior urget,
Ut pars ob corpus quæque ferenda ferat.

Quô benè posthabitô respectu
quà bona priva,
Te nostras Columen præsidiumque fori.
O utinam multi redeant, queîs publica
curæ
Essent: Ex animo scilicet esse Bonos.
Intereà pergas Themidis peragrare roseta,
Ac sedulà Libros volve revolve manu.
Nam nisi sudanti Superi sua munera vendunt,
Præmia virtutis non nisi gnavus habet.
Conatus siquidem vincit probus omnia
quæque;
Ardua conanti subvenit ipse DEUS.
Hinc Tibi surget honos ingens, hinc fama perennis
Te, WILLI, referet docta per ora
Virûm.

Hæcce
DNO. AUTORI-RESPOND:
gratulabundi adposuerunt

JOAN. GUILIELM. & PHIL: ALBRECHT de Rotenhan.

PUblica quando Salus lex est supre-
ma, vigebit
Publica pro voto Res, benè pri-
va simul.
Hinc, præferre Probum doceat quòd
publica semper
Commoda privatis: FAUTOR A-
MANDE, doces,
Doctrinâ rara virtuteque & indole ju-
tus,
Ut spatia in studiis feceris egregia.
Hoc Tua promittit pietas, candorque
fidesque,
Ingenii spondent hoc melioris opes.
Sic, WILLI, studiis, SALÆ quæ Musa
fovebat,
Lumen suffundis, non sine laude Tui.
Posthabitusque tuus Respectus
quà bona priva,
Nobile nunc specimen, grande Tibi-
que decus;
Hunc benè jamque docens Tibi præmia
conficis inde

Nam Tibi pro meritis summi reddentur honores,
Tradenti, quæ sit publica summa salus,
Addimus: ex studiis ut OPES volventibus annis,
Excellensque brevi Nomen AMICE, feras!

Hisce levibus
Nobilissimo atque Doctissimo
DNO. AUTORI-RESPONDENTI,
Jurium Cultori felicissimo, gratulabundi suum animi affectum contestari voluerunt
hac in illustri Salana
CONTERRANEI.

